

ficibus sentiunt? Nonne in hac causa, ignorationis cecitate faciente, contra veritatis lucem plurimi restiterunt et donec quod verum erat veritatis luce splendente cognoscerent, mori se etiam pro hac causa in¹⁾ inscientiae suae tenebris voluerunt. Quos tamen omnes misericors Deus aecclesiae suae consulens et agnoscere se voluit et sequi; quod verum est in tantum, ut mutatis postea sententiis atque habitis in unaquaque provincia conciliis, quorum ad nos ex omni Affrica et Illirico gesta directa sunt, fidem veritatis, sicut ait Paulus apostolus²⁾, quam³⁾ aliquando expugnarent, predicare cepissent. Hoc etiam tota fecit Illiricus, in quibus⁴⁾ ne unus quidem, qui dilucidate veritati resistat, poterit inveniri. An me solum et adhuc illo tempore diaconum contra veritatem tantis ad ipsam revertentibus reniti voluerunt? Et quod maius est, eo iam tempore, quo ne ipsius quidem ignorantie, qua isti⁵⁾ adhuc premuntur, manifestata michi veritate, excusationem invenire potueram? Culpent me correxisse, qui volunt. Unum illud esse non ambigo: quia a quibuscumque fuero correxisse culpatus, eosdem et patrum regulas et ecclesiasticam consuetudinem et canonicas scripturas ignorare certissimum est; in quibus omnibus uno ore et corrigere iubentur errantes et, nisi correxerint, puniuntur. Adiungamus etiam adhuc supra memoratae beati Cypriani sententiae sanctissimi Augustini iudicium, qui ad Vincentium Victorem scribens eumque, ut se corrigat, ammonens, ita in fine primi libri ait: Sed si pro eis nulla contentione pugnaveris, immo vero eas fidelibus verbis et litteris expugnaveris, laudabilior eris censor in te ipsum, quam si quemlibet alium recta ratione reprehenderis et mirabilior eorum emendator, quam si nunquam illa sensisses. Ecce cuius, ecce qualem sententiam reprehendit, qui me correxisse reprehendit. Cum ego, que me corrigerem⁶⁾ agnovisse confitear, malo ego meus censor secundum beati Augustini esse sententiam, quam cuiusquam victor in falsis, quia sicut verissime superius dictum est, cause meritum ab inquirentibus veritatem non dissidentium debeant considerari certamina. Fecit hoc etiam beatissimus Augustinus et sicut hic, qui magnus in regno Dei vocari voluit, quod predicabat ore, docebat exemplo. An ignotum est vel obscurum, quod vir ille evangelicus, non uno aliquo intellectu vel in uno se opere, sed in omnibus prope libris suis gratia se divina illuminante correxit. Legant, qui volunt, in primo retractionis eius, quid dicat. Ait enim: Neque enim quisque, nisi impudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit. Sed si dicit non ea debuisse a me dici, que postea mihi etiam displicerent, verum dicit et mecum facit; eorum

1) 'in' fehlt Hs. 2) Galat. 1, 23. 3) 'quod' Hs. 4) Für 'in cuius episcopis'. 5) 'ista' Hs. 6) 'corrigerem' Hs.